

coelestis spiritus infirmi chori, interdem vero accipi pro omni spiritu coelesti, vt hoc Danielis loco.

¶ *Laudate, & superexaltate eum in secula.* Indicant verba hæc vim amoris erga Deum, & vehementis desiderij magnitudinem. Illud, in secula, intelligitur de iugi, ac perenni laudatione, nõ solum in hac vita, sed in omni æternitate, quam nulla meretur temporis circumscripção. Sed quæres, cur inuicentur tres pueri omnes creaturas ad diuinas laudes concinendas, ab Angelis incoeperint? Ratio est, quia natura angelica est aliis creaturis illustrior, & ipsam naturam humanam superat. Sed vt torques ex auro minus puro vincit interdem alium torquem ex purissimo auro omnibus gradibus, ac numeris absolutissimo, non auri natura, & perfectione, sed quòd gemmam habeat inclusam fulgentissimam, magnique valoris: sic quamuis natura angelica sit ad naturam præstantiam respicias, superet humanam, eam tamen humana in hoc vincit, quòd est assumpta à verbo, & cum diuinitate coniuncta. Nam vnigenitus Dei filius a coeli fastigio ad terram descendens humanam induit naturam, vt homines qui in caligine verlabantur, illustraret. Nusquam, inquit apostolus capite secundo ad Hebræos, angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Hoc est, non naturam assumpsit angelicam, sed humanam. Et rectè quidem ait, apprehendit, vt pote fugientem: cum enim cum fugeremus, nostram assumpsit humanitatem, vt nos vinculis attraheret charitatis. Sed vno verbi incarnati, vt verbis vtar diui Thomæ, non est facta in natura, sed in persona: sunt enim in Christo duæ naturæ, sed vna persona. Itaque est in concilio Calcedonensis decretum. Confitemur in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiseretè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem. Hæc ibi. Et quia natura angelica absolutè excellentior est, ab ea merito incipit hic hymnus.

¶ *Benedicite caeli domino.* Omnes coeli stellarum cum primo mobili, & coelo chrysellino appellantur à Chrysothomo vno coelum, cælum autem empyrium à Basilio, Beda, & Strabo vnum etiam cælum supremum dicitur. Cùm autem aer cælum etiam vocetur, iuxta illud capituli septimi Genesis: Tam reptile, quam volucres cæli, & illud Psalmi 8. Volucres cæli, & pisces maris, & illud Euangelij cap. 8. apud Matthzum: Vulpes foecias habent, & volucres cæli nidos, aperte ostenditur, tres esse cælos, nempe aereu, quod primum coelum vocatur, & medium coelum cum omnibus globis, siue spheris cælestibus, quod dicitur secundum cælum, & cælum empyrium, quod est tertium: de quo illud diui Pauli intelligitur in epistola posteriore ad Corinthios cap. 12. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum huiusmodi vsque ad tertium coelum. Hoc est raptum per Christum vsque ad sedem beatorum. Et quoniam omnis res eandem habet naturam ambigedi, de qua quærit & disceptari potest, fuit quondam in quaestione versatum, essent nec ne spheræ coelestes, earumque stellæ animatæ. Veteres Aegyptij cælos ipsos & alia omnia deos esse existimabant, illisque animas tribuebant. Plato in Cratyllo ait priscos Græcos pro diis habuisse Solè, Lunam, & stellas: & ipsum stelliferum coelum, quod ex omni parte patens, ac apertum intuebantur. De impio Manasse Iudæorum Rege ita scriptum legitur cap. 33. secundum Paralipomenon. Adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam. Et paulo post. Aedificauit autem altaria cuncto exercitui cæli. Vbi per cæli militiam & exercituum, sydera intelliguntur. Nec solum Manasses, sed multi ex filiis Israelis in idem crimen inciderunt. De illis ait in hunc modum libro 4. Regum capite 17. diuina scriptura: Adorauerunt vniuersam militiam cæli, seruieruntque Baal. Cùm gentes fide destituta globos colerent cælestes, & animatos esse putarent, multos ex Hebræis in errore suum adduxerunt. Platonici sine controuersia corporibus cælestibus animas tri-

Chryso.  
Basilius.  
Beda.  
Strabus.

Gene. 7

Psal. 8.

Mat. 8.

2. Co. 12

Plato.

2. Pa. 33.

4. Rc. 17

Simili-  
do.

Hebr. 1.

Th. p. 3.